






8.  
viii.



DISSESSATIO IN AVGVRALIS PHYSICO-MEDICA  
DE  
AQVIS MEDICATIS  
PRAESERTIM  
DE  
FONTE MEDICATO CLIVENSI

QVAM  
FAVENTE DEO TEC OPTIMO MAXIMO  
EX ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICAЕ DECRETO  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAE SIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROF. PVBL. ORDIN.  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE SIDE

ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

D. V. AVGUST. A. R. S. MDCCLII.

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AVCTOR

CHRISTIANVS HENRICVS SCHÜTTE  
CLIVO - CLIVENSIS.



DISSESTITIO NAVAGARIAE PHYSICO-MEDICA

DE

AOAIS MEDICATIS

PRÆCERITI

YU

FONTE MEDICATO CIUENSI

AT

LAUREATE DIO. ILL. OTTIMO MULM

EX DISSETARIO TAVAGARIAE MEDICAE DECETO

IN ALIA REGIA TRADRIGIANA

PARADISO

D. ANDREA ETIA TACHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOVI

POTENTISSIMO BORGORUM RUM A CONSISTENTI

MEDICAMENTO THERAPEUTICAE NATURÆ TUTÆ CORDI

TUMSIS TIBIAE AC TIBIAE NATALIS HABITUS QVOD QVOD

QVOD FORTITER PRACTICO QVOD QVOD

QVOD GRANDI DGETOXI

QVOD LAUDABILIS EPIPHORIS

QVOD SEMINATUR TUMMIS SUBLVIS

CHRISTIANUS HILDEBRAND SCHATT

ETIAD. CINEZ

1657



DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS PHYSICO-MEDICA,  
DE  
**AQVIS MEDICATIS**  
PRAESERTIM  
DE  
**FONTE MEDICATO CLIVENSI.**  
PROOEMIVM.



A quarum, quae *medicatae* dicuntur,  
& in Germania nostra innotuere,  
satis magnus & notabilis est nu-  
merus, qui & nouis adhuc detectis  
magis magisque augetur, quae  
ratione principiorum, hinc & vir-  
tutum, mirum in modum diffe-  
runt, & quibus probe cognitis at-  
que perspectis, hae salutares fon-  
tium thermarumque aquae ad debellandos multos de-  
speratosque morbos, optimo cum successu, iam adhi-

bentur, quod recentiorum nostri aeni Medicorum, in aquis his perscrutandis & examinandis, maiori studio unice tribuendum est, inter quos, qui maiores sibi in aquarum medicatarum indagatione dederit operam, prae Illustri b. m. HOFFMANNO, inuenio certe neminem. Hanc aquarum indolis cognitionem omni Medico perutilem maximeque necessariam esse iam olim ipse probe cognovit **HIPPOCRATES**, & his verbis posteris inculcavit \*): *Quicunque artem medicam integre adsequi velit, primo temporum anni rationem habere debet, deinde ventorum, qui cuius regioni propriae. Neque negligentiorem se circa aquarum facultates cognoscendas exhibere conuenit: quemadmodum enim gustu differunt & pondere ac statione, sic quoque virtute aliae aliis longe praestant; has, si quis ad urbem sibi incognitam perueniat, diligenter oportet scrutari.* Quae cum ita sint, non inutile fore duxi, si de aquis medicatis, *praesertim de novo fonte medicato Clivensi*, a venerando Parente meo Anno MDCCXLI. felicissime detecto, speciminis inauguralis loco agerem; quibus conaminibus meis, ut Diuinum illud sanctissimumque Numen adsit, toto ex animo precor.

\* ) in Libro *de Aeribus, aquis & locis.*



A

SECTIO



## SECTIO I.

### AQVIS SIMPLICIBVS ET MEDICATIS IN GENERE.



**P**rimus Philosophorum, THALES Milesius, principium omnium aquam esse dixit a).  
BASILIVS VALENTINVS, PARACELSVS,  
HELMONTIVS & BOYLE, aquam elementum  
uniuersale, per quod omnes rerum nutritio-  
nes siant, esse docuerunt. Corporum enim  
particulae solidae, quae in aqua solutae  
continentur, cum aqua materiam nutritio-  
nis constituant, & sine aqua particulae solidae ad incremen-  
tum corporum plane inertes sunt: quare aqua non solum  
omnibus animalibus ac vegetabilibus, verum & metallis,  
mineralibus atque lapidibus, nutrimentum, accretionem &  
incrementum praebet.

### §. II.

Aqua igitur variarum in natura actionum & mutatio-

a) Diogen. LAERTIVS de vitis & dogmatib. Philosophor. in vita  
THALETIS, p. 18.

A 3 num

**Dissertatio inauguralis physico-medica,**

num causa existit. Sine aqua nihil crescit, nullaque generatio, foecundatio, nutritio & auctio in omnibus naturae regnis fieri potest. Nihil sine aqua vivit; nulla sine aqua humorum & sanguinis in corporum animatorum vasis progressio, nulla secretio & inutilium excretio, neque sanitas esse potest. Aqua nullis naturae & artis opibus valore cedit.

**§. III.**

Hinc etiam apud Ethnicos magna aquarum dignitas fuit atque celebritas. Graeci, itemque Latini, Oracula & Numina in fluminibus habitare autumarunt, & ex hac causa *aquam nominabant sacram*. De Aegyptiis constat, quod aquam adorauerint, conspersaque in populum vitia delere crediderint, quam virtutem & Persae aquis Mithrae, Graeci Hispi, IVSTINVS, VIRGILIVS, CVRTIVS & Romani generatim, aquae Mercurii adscribabant. Diuinum tribuebant cultum *Cares* fonti Salmacidi, *Syracusani* Aretusae, *Sami* fonti Iunonis, *Graeci* Hippocratis fonti, *Romani* fontibus Blandusiae & Chamaenarum, quibus & sacrificia offerabant. *Lacedaemonii* stagnum non procul ab altaribus Aesculapii, *Pbrygii* Maeandrum & Marsiam fluvios, *Agyptii* Nilum, *Indi* Gangem, pro sacrificiis habebant; *Romani* quois anno III, Iduum Octobris *Fontanalia* celebrabant, fontes fertis cingebant, & in aquam spargebant flores; unde illud natum esse viderur: *Si aquam bauris, fontem corona!* & *HESIODVS* monuit, ut ne quisquam aquam transcederet, nisi effusis prius deuotione precibus. Fontibus etiam varia apposuerunt simulacra, tam religionis, quam ornamenti causa. Religionis ergo *Apuli* & *Siculi* Herculis effigiem, qui extincta aquas hydra purgauit, apposuerant; ornamenti vero gratia diversa simulacra fuerunt exstructa, qualia

qualia in publicis locis & nobilium aedibus videbantur a).  
Haec ex antiquitate de aquis in genere sufficient.

§. IV.

Nulla non solum creatura, ut supra (§. II.) dixi, aqua  
carere potest, sed etiam ad auertendos morbos & debellan-  
dos aqua simplex & pura aptissima maximeque necessaria  
est; resoluti enim crassam sanguinis massam, eam fluidio-  
rem, eiusque motum faciliorem reddit, se- & excretiones  
promouet, tonum partium firmat, impuritates sanguinis  
& humorum diluit, easque per urinam, sudores & insen-  
sibilem transpirationem e corpore eliminat, sitim extinguit,  
calorem nimium temperat, obstruktiones referat, &c. qua-  
re non immerito *aqua Medicina uniuersalis* ab Illustr. b.m.  
HOFFMANNO in peculiari Dissertatione appellatur, & do-  
ctiss. SCHWERDTNERVS, qui Anglorum & Gallorum lucu-  
brationes, de aquae simplicis viribus & praestantia in mor-  
bis, collegit, eas sub titulo: *Medicinae vere uniuersalis*, in  
lucem edidit. Postea eruditus Carol. Gottl. ROGISS speci-  
men, de aquae salutari in forum medicum influxu, & fere optimo  
contra uniuersos morbos praesidio, Wratislav. 1737. & post  
illum Doctiss. Jo. Sigism. HAHN multo ampliorem & obser-  
vationibus corroboratam descriptionem aquae b) nobis  
suppeditauit.

§. V.

Maior vero aquarum mineralium dignitas fuit, siquidem ARISTOTELES eas *sacras* nuncupauit, PLINIVS diui-  
num

a) Conferatur Georg. FABRICII Roma illustrata.

b) Sub titulo: *Unterricht von der Kraft und Wirkung des frischen Wassers in die Leiber der Menschen, sonderlich der Krancken, bey dessen in- und äußerlichen Gebrauch*, Breslau und Leipzig 1745.

num quid in illis latere dixit, & alii ex Ethnicis, qui *morbos iram Deorum immortalium* vocabant, maxima reverentia aquas minerales, veluti *Deorum munera*, & sacro adire voto solebant. Quare CLAVDIANVS in *Idyllo de Apone* exclamat:

*Salve Paeoniae largitor nobilis undae!*  
*Dardanii salue gloria magna soli.*  
*Publica morborum requies, commune medentum*  
*Auxilium, praesens Numen, inenta salus!*

Quibus fontibus, ut morborum domitoribus, Ephydriades praeesse putabant: Calderianos fontes *Iunoni*, Granios *Apollini*, Barbonios *Mammonae*, Albulas *Hygeae*, Clusias *Aesculapius* sacrabant; thermae vero Himerae urbis in Sicilia, item Oetae montis & Pylarum in Thessalia, in *Herculis* tutela fuere, & multi sunt, qui omnes *Herculi* thermas sacratas esse volunt. Horum monumentum *Badae* in Helvetia, anno Christi 1240. ad maiorem scaturiginem in terra repertum est, & *Wisbadae* in Germania, in muro veteri, Ethnicorum dicto, nomina Iouis, *Iunonis* & *Mercurii* leguntur. Imo inter Christianos ante aliquot secula fontes toterii Sanctis quibusdam consecrati fuerunt, quorum vestigium in Guestphalia, in Comitatu Marcano, probe urbem *Altena*, in fonte *sancti Einbardi*, contra sterilitatem mulierum olim ex superstitione celebri, reperitur, cuius etiam venerandus Parenz in Tractatu suo a) meminit, ibique sacrificium & bibendi ritum descripsit.

### §. VI.

Recte ARNOBIVS, *fontes minerales & balnea clementiae diuinae munera esse*, dixit, & SENECA b) inquit: *Non dat Deus*

- a) *Neue Beschreibung des Schwalmser Gesundbrunnens* p. 29.  
 b) *Lib. IV. de Benef. Cap. V.*

*Deus beneficia? quid ergo medicatorum torrentium venae?* *quid in ipsis littoribus aquarum calentium exundatio?* *Gregorius NAZIANZENVS Lib. II. Theol. Balnea Dei gratuita munera, pauperibus aequa ac locupletibus communia & libera,* dixit; & *Illustr. HOFFMANNVS aquas minerales magnum Dei beneficium in suis scriptis passim nominauit.* Profecto natura a Deo condita in aquis mineralibus loco artis est, ubi artis humanae opus deficit, immo illam longe multumque superat; optimam enim medicinae partem aquarum mineralium genus constituit, diuina plane auxilia in morborum curatione praefstat, quae ab aliis pharmaceuticis remedii frustra expectantur. Quando enim omnes remediorum apparatus non sufficiunt, ad aquas minerales, anchoram veluti sacram, configiunt aegri, & ad ultimum quasi remedium ab ipsis Medicis relegantur. Ex quibus Deum benignissimum, uniuersi huius Creatorem sapientissimum, satis ubunde cognoscimus.

## §. VII.

*Thermarum naturalium, sive fontium calidorum,* apud veteres pauca reperiuntur monumenta. In sacro codice Iosva a) aquarum calidarum mentionem facit, nempe, *quod prope aquas Meromias hostes suos adgressus fuerit, ac usque ad maiorem Sidonem & aquas calidas ad internicionem conciderit;* quae aquae in tribu Aser, prope urbem Sidonem, scaturiebant, testante Ioan. MATHESIO b). Porro Iosva alio quodam loco c) aquarum calidarum mentionem fecit. An vero aquae Amanae & Pharpbar Damasci, de quibus NAEMAN d) loquitur, thermae fuerint, an aquae

- a) Iosva Cap. XI. v. 7. 8.  
 b) in sua Sarepta pag. 3.  
 c) Cap. XIII. v. 6.      d) Lib. II. Regum Cap. V. v. 12.

10      *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

frigidæ minerales, ex textu sacro non penitus liquet. PLINIVS a) de thermis & acidulis breuissime haec commemo-  
rat: *Emicant benigne passimque in plurimis terris, alibi fri-  
gidae, alibi calidae, alibi iunctae, sicut in Tarbellis Aquitani-  
ca gente, & in Pyrenæis montibus, tenui interuallo discernen-  
te. Alibi tepidae egelidaeque auxilia morborum conferentes,  
& e cunctis animalium hominumque causa erumpentes.* - - -  
*Nusquam tamen largius, quam in Baiano sinu, nec pluribus  
auxiliandi generibus, aliae sulphuris, aliae aluminiis, aliae sa-  
lis, aliae nitri, aliae bituminis, nonnullae etiam acida salsaue  
mixtura. - - - Vaporant & in mari ipso, quae Licini Crassi  
fuere, mediosque inter fluctus existit aliquid valetudini salu-  
tare. - - Sunt & Mattiaci, in Germania, fontes calidi trans  
Rhenum, quorum haustus triduo feruet. - - - Item calidae  
aque in Euboeæ Delio. De harum virtutibus inquit: *Iam  
generatim nervis profundit, pedibusque aut coxendicibus, aliae  
luxatis fractisque. Inaniunt alios, sanant ulceras, capitæ au-  
ribusque medentur. Et idem PLINIVS b) scribit de fonti-  
bus calidis: Homerum calidorum fontium mentionem non fe-  
cisse demiror, cum alioquin lauari calida frequenter induceret,  
videlicet quia medicina tunc non erat haec, quæ nunc aqua-  
rum perfugio utitur. - - Est autem utilis sulphurata nervis,  
aluminosa paralyticis aut simili modo solutis; bituminosa aut  
nitrosa qualis Cutilia, utilis est bibendo atque purgationibus.**

§. VIII.

Thermae vero & Balineæ, in urbe Roma, non erant  
aquaæ minerales sua natura calidae, sed simplices, ex Tiberi  
aliisque riuulis fontibusque vel per canales in Thermarum  
aedificia adductæ, vel per aquarios ministros allatae, & aut  
igne

a) Natural. histor. Lib. XXXI. cap. 2.

b) Lib. XXXI. cap. VI.

igne calefactae, aut etiam frigidæ. De harum aquæ ductibus, balneis & thermis, itemque de inuentione, usu, ornatu tbermarum & laundi ritu, *Ioan. ROSINVS a)*, in genere vero de Balneis & Thermis *Georg. FABRICIVS b)* satis luculentter scripsere, ex quibus Auctòribus pauca haec curiositatis gratia recensere volo. Cum apud Romanos lintei usus es-  
set rarius, sudorem fordesque corporis saepius abluere ne-  
cessè habebant: usitato more ante coenam balneis uteban-  
tur, item post ambulationes, exercitationes, operas, saepe  
necessitatis & munditiae causa, non raro voluptatis. Si-  
quidem *Commodum* in die octies, *Gordianum iuniorem & Rhemnum Grammaticum* septies lauasse legimus. Balneorum nùmherum Romae p. VICTOR ultra octingentas com-  
putauit. *AGRIPPA CIXX.* gratuita balnea praebuit, quae  
postea in infinitum, *PLINIO* teste, sunt aucta. *Balneum*, si-  
ue *balineum*, ἀπὸ τῶν βαλάνων, a glandibus, quae in balneis  
olim succendebantur, deriuatur. Autores fere multi *bal-  
nea*, seu *balneas*, de publicis usurparunt aedificiis. *Balneum*  
erat locus in aedibus Romanorum priuatus; *balneæ* vero  
erant bina aedifica coniuncta, alterum ubi viri, alterum ubi  
mulieres & aduluae lauabantur virgines. In balneis tria  
erant quasi coenacula, *summum*, plenum aëris calidi, *Laco-  
nicum* dictum; in medio coenaculo erant aquæ calidae, in  
imo frigidae. Quinque balneorum fuere partes. *Prima pars*  
conclauie erat, ubi calidior aër, in quo ponebantur ve-  
stes, *apodyterium* seu *spoliatorium* dicta; *secunda pars* te-  
studinis instar constructa, aërem calidum, accenso igne,  
sine fumo continebat, *ὑπόνευσον* siue *sudatorium* dicta;

B 2 tertia

a) In Antiquitatib. Roman. ex Editione DEMPSTERI, Cap. XIV.  
pag. 75. & 81.

b) In *Roma sua illustrata*, Cap. XVII. & XIX.

12 *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

*tertia pars* cella caldaria, *Lauacrum* dicta, in qua homines confidentes lauabantur, unde & *Labrum*, quasi lauabrum, vocabatur; *quarta pars* erat frigidarium, seu frigidaria cella, ubi aqua frigida, piscina, *quinta pars*, ubi sudor detersetur urgebaturque, *deteriorum* dicta. Balneorum vas ad lauandum tria erant: 1) *Calidarium*, 2) *tepidarium* & 3) *frigidarium*, quae aquam calidam, tepidam aut frigidam continebant. Utensilia balneorum erant: 1) *Solum* sive *la-  
brum*, ex ligno aut marmore, in quo residentes lauabantur; 2) *guttus*, vas guttam oleum fundens; 3) *strigilis*, a stringendo, instrumentum, quo utebantur ad sudorem corporis & sordes abstergendas; 4) *lintea sudoriae*, quibus corpora detergebantur. Aderant in balneis *pilicrepi*, pilos auellentes, *aliptae*, ungentes a).

§. IX.

Thermae magnifica erant *Palatia* b), quae primum Imperatoribus inferniuerunt, post etiam vulgo. Thermae viginti in urbe Roma a ROSINO c) numerantur, quae inter praecipua urbis ornamenta a PLINIO referuntur. In nullis antiquorum operibus maior luxus cernitur & insania, quam in Imperatorum Thermis, quas in Provincia rum modum fuisse exstructas AMMIANVS conqueritur. Thermae Antoninianae in usum lauantium 1600. sellas e marmore factas habebant; Diocletianae vero 3200. sellas. In thermis erant *cellae*, loca in quibus lauabantur & ungebantur; *piscinae*, in quibus piscium more natabant, his adjuncta erant *porticus* & *Xysti*, loca tuta, umbrae & ambula-

tionis

a) vid. *Frid. HILDEBRANDI Antiquitat. Roman.* p. 50.

b) Icones Thermarum videntur in Libro illo: *Abgebildetes al-  
tes Rom.* Arnh. 1662.

c) loc. cit. p. 74.

tionis gratia aedificata, nemora & sphaeristeria. Sphaeristerium erat locus balnei, figura rotunda, omnibus exercitationum generibus, & in primis pilae ludo destinatus. Paries thermarum malthati erant tam tenaci duraque materia, ut ferro vix frangi posset. Thermarum sola, ut & balnearum, interdum sternebantur vitro, frequentius lapide & crustis marmoreis latis, aut tessellis quadratis varii coloris, nigri albique. Thermae erant aut aestivae, aut hyemales. Tempus lauandi a meridiano ad vespertinum constitutum erat, teste VITRUVIO, *Archiref. Lib. V. cap. X.* hyeme erat hora nona, aestate vero octaua, unde MARTIALIS *Labr. X.* Epigr. 48.

Nuntiat octauam Phariae sua turba iuueniae,  
Et pilata redit iamque subitque cobors,  
Temperat haec Thermas nimios prior hora vapores  
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Campanae sonitu in Thermis populus staris horis aduocari iterumque dimitti solitus erat; & honesti ciues epulas adiuti, prius semper balnea petebant. Legimus etiam, coniuuas seu hospites in coniuuatoris aedibus, a quo inuitati & excepti fuerant, lauari & ungi solitos fuisse, balneis a coniuatore paulo ante coenam paratis. Ex quibus patet, Romanos thermis & balneis partim sanitatis, partim munitionis, partim voluptatis causa usos fuisse.

§. X.

Reuertor ad *Thermas naturales*, siue aquas sua natura calidas. In his obseruatur calor mirabilis, qui, pro diuersa qualitate & quantitate partium Thermas constituentium, varius est; nam aliae thermae sunt *tepidae*, aliae *calidae*, aliae *feruidae*.

14 *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

§. XI.

*Causam caloris antiqui Medici, rerum naturalium non satis gnari, vel Solis radiis in terrae viscera agentibus, adscripsere, inter quos ZENO Philosophus, CLEANTES & CHRYSIPPVS erant; vel vaporibus & ventis, ut MILEVS; vel lapidi calcario in terris abscondito, ut DEMOCRITVS, teftantibus id BACCHIO a) & SAVANAROLA b); igni subterraneo vero Atban. KIRCHERVIS c), qui simul, quam sibi imaginavit ignis subterranei figuram, una cum aquis perfluentibus ac calefactis, aeri incisam exhibuit. SENNERTVS d) & CAME-RARIVS e) calorem Thermarum ex pugna contrariorum scaturiginum, nempe ex aquis duabus vel pluribus metallicis, ad tactum frigidis, concursu vero, ob spirituum repugnantiam, incalcentibus, oriri putarunt; exempli gratia ad instar butyri antimonii & spiritus nitri, item spiritus virrioli & olei vel salis tartari, &c.*

§. XII.

*Quia vero hae caloris causae rationi & experientiae metallicae repugnant, nec experimentis demonstrari possunt, recentiores Medici causam caloris Thermarum pyriti, minerac ferri sulphure impraegnato (Schwefelkies), attribuunt; quos inter primus fuit LISTERVS f), celebris Anglorum Medicus, quem sequuti sunt BERGERVS g), qui omni-*

um

- a) Lib. I. de Thermis cap. 17.
- b) Lib. de Balneis I. cap. I.
- c) Lib. V. Mundi subterranei Sect. II.
- d) Lib. IV. Epit. scient. natural. cap. X.
- e) Sylloge memorabil. med. Cent. V. p. 401.
- f) In Tractatu: *Nouae ac curiose exercitationes & descriptio-nes Thermar. ac fontium medicatorum Angliae*, Lond. 1686. Cap. XI.
- g) In Commentat. de Thermis Carolinir.

um calidorum ac mineralium fontium ex *pyrita* originem demonstrauit HENCKELIVS a), SEPIVS b) & SPRINGS-FELD c), & qui primus alias nominandus fuisset, Illustr. b. m. HOFFMANNVS d), siquidem is iam ante BERGERVM, & reliquos clarissimos Medicos, mineram ferream & sulphuream, sive marcasitas sulphureo-vitriolicas, quae nihil aliud quam pyrites sunt, causam Thermarum esse adstruxit.

§. XIII.

Hanc sententiam Illustr. HOFFMANNVS e) speciatim sequenti corroborauit experimento, quod his verbis exposuit: *Ut paucis mentem exponamus, id fieri existimamus, quando sulphur solutum agit in terras & mineras martiales, vel terram bituminosam. Concipiimus rem sequenti ratione. Quando in terra visceribus sulphur cum bitumine fossili, nec non cum martialibus mineris est commixtum & in magnos cumulos collectum, & aqua ad haec mineralia accedit, tum acidum vitriolicum, quod in sulphure est, soluitur, & actione sua in terram bituminosam, & sulphureas martiales mineras, efficit non modo calorem intensissimum, sed &, si terra est porosa, & sufficiens aeris quantitas accedit, luculenta flamma producitur. Evidenter res fiet sequenti experimento chymico; quando nempe sumitur libra una sulphuris viui puluerizati, & anatica portio limatura martis, haec inuicem accurate misceantur, & indantur vitro, affundatur aqua in tanta copia, ut mixtura fiat humida instar pultis; elapsis horis duodecim in spumam attollitur massa, sit ebullitio interna calidissima.*

- a) In *Pyritologia, oder Kiessthistorie*, pag. m. 62.
- b) In der Beschreibung des Pyrmontischen Brunnens, p. 79.
- c) In *Itinere medico ad Thermas Aquigranenses*, §. XVI. p. 39.
- d) In *Dissertatione de Carolinis Thermis*, §. III.
- e) loc. cit. §. 4.

16 *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

*lidissima, diffingitur ex calore vitrum, color, qui antea flavidus erat, evadit niger, & massa per calorem valde fit compacta; haec ex vitro exempta & in parua frusta comminuta, in aceruum collecta, aevique libero exposita, paruo tempore non modo vehementius, quam antea, incalescit, sed & manifestam flammam, cum fumo sulphureo, emitit. Si ullum experimentum, certe hoc clarissime demonstrat ignis subterranei generationem, qui ex eodem fonte debet deriuari. Porro sequenti §. l.c. pergit: Habemus in promptu adhuc plura experimenta, quae ostendunt genesis subterranei ignis: Videlicet non est ignotum, quando marcasitae & glebae sulphurcae, ex quibus vitriolum constituit, aeri humido exponuntur, quod breui tempore aestum intensum concipient.*

§. XIV.

Simile huic experimentum BERGERVS a) cum terra aluminosa & Pyrite instituit, dum scribit: *Terra aluminosa, ad fluvium Muldam, Lipsiam inter & Vitebergam, quae, quia pyrite praegnans est, effossa, atque in magnos cumulos, vel aceros congesta, non vehementer tantum calorem, sed & subinde ignem sponte concipit.* Idem fere HOFFMANNVS b) de aluminis praeparatione obseruauit: *Dubae in Misnia, Commodae & Altsattelae in Bohemia, alumen sequenti modo fieri obseruamus: Eruuntur nempe e terra carbones fossiles, sive terra nigra bituminosa inflamabilis, in qua sal sulphureum acidum aluminosum delitescit; haec terra in aceros digesta, pluviis humefactata, non modo vehementer incalescit, sed fumum, & quandoque etiam apertam flammatem emittit.* Hoc saepius contingere, mihi quoque, aluminis fodinam prope urbem Freyewaldam perlustranti, relatum est. Ex quibus

allatis

a) lib. cit. pag. 69.

b) l. cit. Cap. I. §. 6.

allatis iam experimentis ignis & caloris subterranei ac thermarum causas satis aperte demonstratas esse arbitror.

§. XV.

Altera iam mouetur quaestio: Quomodo thermarum calor per tot secula continuus & perennis in terra subsistere queat, aequali fere calore aquas praeterlabentes imbuens? & unde huius ignis & caloris subterranei pabulum, siue materia? Respondeo: Primo, stupendam & inexhaustam sulphuris, bituminis, marcasitarum vitriolicarum, pyritis, carbonum fossilium & cadmiae quantitatem sub terra latere. Nam constat, quod in pago *Altstättel*, Carolinis vicino, ultra duo iam secula sulphur, bitumen & vitriolum eruta atque confecta, & in Italia, *Puteolis*, per multa secula alumenum & sulphur excocta sint, neque minus circa Thermas Aquisgranenses magna Cadmiae & Carbonum fossileum reperiatur quantitas. Deinde etiam haec dicta mineralia aequae ac metalla in dies adhuc generantur & augentur, id quod viris rei metallicae garris & metallicolis optime notum est. Hoe si non contingere, montium igniominatorum, Aetnae, Heclae & Vesuuui ignes iam dudum extintos vidissimus, & omnes thermarum aquas frigidas redditas.

§. XVI.

Notatu quoque dignum est, quod illis in locis, ubi fontes calidi scaturiunt, terra circumiecta semper obsernatur calida, & hyemali tempore nix ibi statim colliquescat, ex quibus apparet, ignes subterraneos ibi delirescere, & perfluentes aquas calefacere; hoc modo & aquae dulces, terram calidam perfluentes, ab eadem calefunt. Exemplo nobis sunt aquae dulces calidae, nulla minerali substantia impregnatae, quales sunt in Italia *balneum Sti Iohannis*

C

in

in agro Lucensi, *Pisanum*, item *Senense*, balneum *de Corneto*, & in Heluetia *Piperinae*.

## §. XVII.

Restat alia adhuc quaestio: Unde nempe fontes perennes suam originem habeant? Nonnulli statuunt, causam fontium perennium non aliam esse, quam circulationem aquae in globo terraquo; quod nempe aqua maris proprio pondere, aduenientium aquarum, aëris superincumbentis, & globi lunaris pressione, per telluris viscera successive progrediatur, & per canales subterraneos ex mari per arenam filtrata, fontium scaturigines formet, inter quos sunt *CARTESIVS & BAGLIVIVS*; minime vero has aquas ad fontium perennium scaturiginem sufficere arbitratur *Illustr. HOFFMANNVS I. C.* cuius sententia est, *quod aquae terrae sint innatae*, & in telluris interioribus recessibus ubique deprehendantur, etiam in montibus altissimis; quae aquae subterraneae alimentum & incrementum continent suscipiant ex pluvialibus aquis, dum per porosam telluris substantiam penetrant & filtrantur, circa argilloso vero loca condensantur, & postea per certos canales & riuos distribuuntur, maxime omnium vero in humilioribus montium radicibus & vallibus erumpunt, ubi simul obseruauit, quod quo longior & magis continuus montium fuerit districtus, imo quo montes fuere altiores, eo diuturniores & in altum magis profilientes erumpant fontes. In cuius sententiae confirmationem *Thermas Piperinas* speciatim adduxit, quae aquae quotannis circa tertium Maii diem erumpunt, & decimo quarto circiter Septembribus fluere desinunt. Huius fluxus causam esse putat niues in altissimis locis iacentes, quae circa hoc tempus liquefiant, per terrae tractus descendant, & calore subterraneo calidae fiant.

## §. XVIII.

§. XVIII.

*Aquam telluri innatam esse, cum Illustri HOFFMANNO nostro statuit Henr. KÜHN a), quam aquam fundamentalēm (Grund-Wasser) appellat, eamque optime demonstrauit, dicens: Dantur ubique fere locorum sub terra, in diversa profunditate, strata terrae argillosoe, per quae non penetrat aqua, quibus alia sabulosa arenosaque superincumbunt strata, quae non profunde, sed late longeque extenduntur, in quibus aqua colligitur & per varios paruosque meatus cum flumine quodam proximo communicationem habet, quo cum etiam crescit aut decrescit. Haec aqua, remota terra, detecta, aquae fontanae seu putealis nomine venit, vel etiam fundamentalis appellari potest.*

§. XIX.

Docet idem commemoratus Auctor b), aquam in caueris subterraneis, ibidem descripsit, in forma vaporis ad parietes cauerarum concentrari, colligi & ex montibus profluere, quod exemplis ex PERAVLTIO c) comprobatur. Eiusmodi caueram, sive speluncam subterraneam, in Comitatu Marcano, montis Clutus dicti, in regione fontis soterii Schmelzenensis, venerandus PARENDS d) fusius descripsit, in qua cawerna vapores in parieribus collectos, stillantes & desfluentes, imo riuum cum strepitu caueram perfluentem, iucundo spectaculo quotidie videtur licet.

C 2

§. XX.

a) In Tractatu suo: *Vernünftige Gedancken von dem Ursprung der Quellen und des Grundwassers*, pag. 91. §. 89. 90.

b) §. 107. 113 - 166.

c) *Traité de l'origine des fontaines*, p. 819.

d) In descriptione huius fontis, Cap. I. §. 26. seqq.

## §. XX.

Ex adductis his exemplis & rationibus concludere nunc possumus, quod origo fontium perennium partim ex Oceano, partim ex niuali & pluuiali aqua, partim ex aqua terrae innata, partim ex vaporibus cauernarum concentratis ibidemque collectis, sit deducenda.

## §. XXI.

Cum itaque de aquarum tam simplicium, quam medicatarum, itemque thermarum historia, origine, caloris & perpetui scaturiginis causa, haec tenus potiora breuiter exposta sint, nunc etiam thermarum acidularumque *contenta*, seu *partes ingredientes & constituentes*, considerandae nobis veniunt, quae pro diuersitate harum aquarum mirum in modum variant. Ita in nonnullis, imo plurimis thermis, *sal alcali* occurrit, ut in Carolinis, Aquisgranensibus & Töplicensibus; thermae Piperinae vero sale alcalino plane destitutae sunt, sed *vitriolici* aliiquid in se continent. In thermis Wisbadensibus *sal enixum*, salis communis instar, obseruatur. Celeberr. SPRINGSFELD refert, quod *salem medium* aequa ac *alcalinum* ex thermis Aquisgranensibus eduxerit, & quod hoc solummodo ex diuersa præparatione eueniat a): *Sal*, inquit, qui ex *thermis* (Aquisgranensibus) paratur, triplici modo considerari potest. *Vel*, si statim post exhalationem una cum terra remanente examinatur, *vel* si omne hoc mixtum lege artis rursus aqua soluitur, percolatur, spissatur atque denuo in crystallos redigitur. Ubi iterum duo attendenda veniunt: scilicet, num hic *sal* aqua frigida, num calida & ebulliente solitus sit atque paratus? Primus, cum terra illa alcalina mixtus, & cuius ex una libra aquae XIX. ad XX. grana acquiruntur, alcalinae prorsus

a) l. cit. §. VII. pag. 15. 16. 17. 18.

fus est indolis, saporisque urinosis; quemadmodum & alter, qui frigida extrahitur atque liquatur, alcalinus quoque dicendus. Tertius autem, qui calida paratur, spissatur, altera vice solvit, filtratur, & post evaporationem ad pelliculam paucam quantitate deponitur, salem neutrum simulare, & cum sale illo, quem celeberrimus BOERHAAVE polycbrestem vocavit, quodammodo conuenire videtur. Habet enim saporem amaricantem, effervescit tamen cum fortioribus acidis, quod cum sale polycbrestro non obseruatur. - - - Quid igitur mirum, si Auctores de natura huius salis interdum discrepant, quum de modo & arte parandi eiusmodi salem non conueniant. Similem salem medium doctiss. SPRINGSFELD in thermis Carolinis obseruauit a), ubi crystalli in forma niuis vel pruinæ, aut potius florū, rupibus, muris & thermarum ductibus adhaerent, & flores salini thermarum (*Saltzblütbe*) ab incolis nominantur.

§. XXII.

Nonnulli Auctores salis alcalini in thermis & acidulis existentiam negarunt, huncque salem vi ignis producētum esse statuerunt. At si consideramus, quod Nitrum veterum, quod in Aegypto ac in Syria conficitur, & ab incolis *Natron* dicitur, purissimum alcali sit; quod in Smyrna reperiatur terra humida, salis alcalici plena, qui inde aquae beneficio educitur, & maxima in quantitate Lutetias Pariſiorum vehitur, ubi eodem cinerum clauellatorum loco utuntur; quod non solum thermae, sed etiam acidulae quaedam, imo fere plurimæ, cum spiritu vitrioli effervescent, & acidum vitrioli ab illis temperetur; quod etiam acidulae, cum vino Rhenano mixtae, innumeræ bullulas emittant, cum vapore copioso & notabili spuma, in primis

C 3

si

a) Vid. Eius *Abhandlung vom Carlsbade*, § 41. p. 114 seqq.

22 *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

si saccharum additur, (cuius phaenomeni non alia est ratio, quam quod alcali subtile terreum in acidulis, inproptere sic dictis, cum acido vini confligens, hanc ebullitionem efficiat;) & quod denique quam plurimi mineralium aquarum scrutatores ex thermis & acidulis salem alcalinum produxerint: neminem certe ulterius contra has veritates disputaturum esse confido.

§. XXIII.

Salis alcalini in thermis generationem Illustr. HOFFMANNVS a) variis experimentis chymicis docuit, ex quibus tandem concludit: Non errabimus, si haec dicta experientia applicemus productioni salis alcalini in terra, & quidem eas ob rationes, quoniam deprehendimus ibi similia corpora, ex quorum coniugio intimo nasci poterit similis alcalina substantia: Adjunt enim in terra lapides calcarei (in quorum classem etiam referri debet spathum) copiosissimi, qui subterraneo igne fortissimo calcinantur & adunantur in corpus spongiosum acre; adjunt etiam sulphurei, acidi, minerales & vitriolici sales, quibus terra est resertissima. Si haec inuicem intime miscentur, praesertim magno caloris gradu accidente, cur non sal alcalinum simili modo, uti extra terram, produci possit, nullas inuenio causas in contrarium?

§. XXIV.

Alterum thermarum ingrediens est terra alcalina, quae partim in nonnullis thermis a pyrite, martis minera sulphurea b), prouenit, partim calcarea terra est, secundum Illustr. b. m. HOFFMANNI sententiam, partim in aliis thermis tophacea & gypsea reperitur. Haec terra pro di-

a) loc. cit. Cap. III. §. 3.

b) vid. supra §. 13. 14. & Dn. SPRINGSFELD Tr. vom Carlsbad pag. 138.

versitate thermarum etiam colore & duritie mirum in modum differt: in nonnullis enim thermis cineritii, in aliis flavi, fusi & brunni, in aliis etiam variegati coloris conspicitur: in plurimis friabilior, in nonnullis vero dura haec terra lapidis instar obseruatur, ut in thermis Carolinis & Aquisgranensibus, & tum *topbus marmoratus* *thermarum* (*Badeftein*), seu *Stalactites* nominatur, cuius descriptionem **HOFFMANNVS** & celeberr. **SPRINGSFELD** a) dederunt. Hic lapis in puluorem redactus ac inspersus, hominum equorumque sordida & luxuriantia ulcera mundificat, siccatur & consolidat. Multum cum hac materia conuenit subtilis illa alba splendens ac lapidosa terra, pelliculae instar, aut spumae, thermarum aquis supernatans, *cremor* vel *spuma* *thermarum* (*Badefaim* & *Badeschbaum*) appellata: haec terra, ad instar cremoris calcis viuae & cuticulae cuiusdam, variegati coloris, etiam acidularum aquis innat, ac insimul friabilis, foliata ac insipida est, & cum omnibus effervescit acidis, a priori terra tamen differt, quod Clariss. **SPRINGSFELD** b) experimento demonstrauit, & speciarium a doctiss. **SEPIO** c) pro *terra selenitica* haberur. In Carolinarum balneis cremor hicce colligitur, exsiccatur & venditur, quo in exsiccandis ulceribus, & pulueris dentifricii loco, ad repurgandos dentes eosque a carie & gingiuas a putredine defendendas, ut & cutim faciei & manuum abstergendam, ac sinegmati loco sine fuso nitidiorem reddendam, utuntur d).

§. XXV.

- a) loc. cit.  
b) l. c. §. 47. pag. 149. 150.  
c) l. c. IV. Abtheilung §. 138.  
d) Conf. Doctiss. Dn. IHL Dissert. de Carolinar. Thermar. praerogatiis.

## §. XXV.

Notatu vero dignum est, *latum thermarum*, quod in balneorum fundo post balneationem praecipitatum obseruamus; a plurimis Thermographis in eorum scriptis neglectum fuisse; hoc, quod magna copia in Carolinis thermis, Bathonensisibus in Anglia, Aponensisibus in Italia, Budensibus in Hungaria, ac nonnullis aliis reperitur, vera pyritis ac calcarii lapidis progenies est, testante id Excell. LANGGVTHIO *a*), &, pro diuersitate thermarum, cinerei, gilui, flavi, rubri, spadiceue coloris. Hoc salubre sedimentum membris morbo adfectis calide illinitur, & hoc modo nouum balnei genus, Italij *Bagno di fango*, nobis *Schlamm-Bad* dictum, adornatur. Patauinorum fontium, & eorum luti usum *FALLOPIVS b*), *BACCIVS c*), *KIRCHERVIS d*) & *GRATIANVS e*) exposuerunt. De thermarum Budensium luto *Laur. STOCKERVS f*) fusius egit, qui Auctores euolui omnino merentur. Occasione huius luti modo citatus *FALLOPIVS* speciatim conqueritur, nullum ibidem degentium Medicorum hocce luto uti, sed potius illius proximus facultates nescire, quum interea rustici illius agri (scil. Patauini) in neruorum adfectibus, quod ipse vidit, diligenter hoc lutum adhibeant. Idem Auctor lutum Patauinorum fontium in callositate, luxatis articulis superueniente, commendat, & exemplum Ducas Florentini allegat, qui luto fontis S. Bartholomaei, Florentiam deportato, ad chordam brachii retractam multo

- a)* In *Dissert. de usu medico luti thermarum*.
- b)* In *Tract. de Thermis, aquis & metall. Oper. omn. p. 143.*
- c)* *Baccius* in Lib. VII. de Thermis & balneis.
- d)* In *Mundo subterraneo*, Lib. V. Sect. III. de Thermis.
- e)* In *Thermar. Patauinar. Examine*.
- f)* In *Thermographia Budensi*, Cap. XVIII.

multo sit usus cum leuamine. KIRCHERVS l.c. de luto pingui & argilloso balnei Aponitani refert, quod partes siccet, digerat, roboret & dissolutas iungat; de luto balnei S. Helenae vero, quod potenter exsiccat, & S. Bartholomaei, quod valde emolliat. STOCKERVS l.c. de luto thermarum Budensium dicit, quod in tibiarum ulceribus, emplastri modo applicatum, summum sit remedium, & in omnibus morbis organicis, ab acido oriundis, polychrestum habeatur, quod omnia corrosiva absorbeat acida, ex quibus humorum coagulationes, tumores, dolores ac exulcerationes partium oriuntur, & simul eas partes firmet. Optandum igitur est, ut in thermis commorantes Medici applicationem luti diligentius instituant, eius effectum obseruent, & in huius applicatione cautiones nobis necessarias tradant, quia in omnibus adfectibus, & omni aegro, luti non conuenit usus.

§. XXVI.

Non solum thermarum lutum, sed etiam *terra marialis ex acidulis praecipitata*, vulgo *Ocbra* dicta, peculiari vi medica gaudet, atque in leniendis articulorum doloribus, ulceribus consolidandis, tumoribus duris emolliendis, & neruis corroborandis, valde efficax & utilis deprehensa fuit, quod in primis RAMELOVIVS a) confirmat. Abusum vero huius terrae in balneis & pediluviis celeberr. Dn. D. OVELGÜN b), praesertim in cacheoticorum corporibus, optime damnavit. Dilectissimus PARENTES meus huius terrae beneficio ad fontes soterios Cliuenses & Schwelmenses varia rebellia & maligna pedum ulcera, praemissa eorum & cor-

D poris

- a) In Tractat: *Kurtze Beschreibung des Sauerbrunnens zu Wildungen.*  
b) Vid. eius *Entwurf der ueraltten Wildungischen Mineral-Wasser.*

26      *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

poris purgatione, feliciter consolidauit, hac tamen cum cautela, ut curati, per anni spatium, singulis mensibus semel purgans aptum repeterent. Plura de ratione applicandi & usu huius luti, in oculorum affectibus & artuum tumoribus, apud DIONIS a), Raymund. FORTIS b) & GOETLIVM c) videri possunt.

§. XXVII.

Ultimum thermarum ingrediens sulphur est, quod vero non in omnibus, sed paucissimis thermis obseruatur. In thermis Badensibus, & praesertim Aquisgranensibus in balneo Caesareo, verum reperitur sulphur, cuius libra una quatuor vel quinque imperialibus venditur, de quo BLONDEL d), le SOINE e) & SPRINGSFELD f) videantur. Hoc sulphur purum in asthmate aliquique pectoris morbis maxime prodesse dicitur, & idcirco mane & vesperi pani, butyro illito, inspersum comeditur.

§. XXVIII.

Progredior nunc ad usum thermarum, qui externus est & internus. Thermae antiquioribus non ignotae fuere, ut supra §. VIII. dixi & BACCIVS g) testatur, nec non HIPPOCRATES b), qui aquarum calidarum, quibus sulphur & bitumen insit, mentionem fecit. Thermarum vero tunc temporis usus solummodo externus fuit, de interno autem nihil relatum legitur. Ex recentioribus deinde Anno

MDXXII.

a) DIONIS *Cours de Chirurgie*, Demonstr. IX.

b) Part. I. Conf. 96. Cent. IV.

c) *Vom Gebrauch der Freyenwalder Gefundabrunnen*.

d) *Beschreibung der warmen Bäder zu Aachen*.

e) In Dissert. de Thermis Aquisgranensibus.

f) l. c. §. XI.

g) l. c. Cap. I.

h) *Libro de aeribus, aquis & locis*, Cap. 13.

MDXXII. Wenceslaus PAYERVS, Medicus Ellenboganus, Traetatum de Thermis Caroli IV. Imperatoris prope Ellebogen & vallem Iochimi sitis, edidit, earumque usum internum maxime commendauit, ac potum multum longeque praeferendum esse balneo adseruit; quem sequuti sunt BLONDEL, Aquisgranensium Thermarum Medicus, multique alii.

§. XXIX.

Thermarum maxima virtus in sale & terra alcalina consistit; ex hac enim ratione aluum laxant & purgant, urinam pellunt, sudorem & transpirationem mouent, acidum in primis viis absorbent & infringunt, obstructionesque referant; quapropter hypochondriacis commendantur, & spasmis imi ventris affectis, cacheoticis, &c. Nocent vero in doloribus capitis grauatiuis, hemicrania, vertigine, apoplexia, epilepsia, melancholia, mania, soporosis affectibus, gutta serena, auditu difficiili, item subiectis debilitatis, siccis, calidis, phthisicis, tabidis, sanguinis defectu laborantibus, ira & tristitia affectis, & qui venas angustas paruasque habent. Quare non immerito reprehendendi illi sunt Medici, qui sine discriminione & consideratione thermarum internum usum omnibus aegrotis, tanquam uniuersale & necessarium remedium, quod balneorum usui prae-mittendum sit, suadent, recte id annotante SPRINGSFELDIO a).

§. XXX.

Externus vero thermarum usus quadruplex est, neme-pe 1) in balneo, 2) in forma vaporis (*Dampfbad*), 3) stillicidii ope (*la douge, das Tropfbad*), 4) in pedilunio. Balnea vaporis & stillicidii BLONDELIVS b) figuris delineata exhibet.

D 2

§. XXXI.

a) l. c. §. 13.

b) lib. cit. & Amusemens des Eaux d'Aix la Chapelle.

## §. XXXI.

*Balnea thermarum temperata membris debilitatis, luxatis, paralyticis & resolutis medentur, neruos laefos confortant, articulorum dolores leniunt, tumores frigidos difuscunt & ulcera antiqua consolidant. E contrario autem eadem, sub tali forma, podagrīcī & arthriticī valde noxia esse, saepiusque pneumoniam, febrem, anorexiā & paralysin excitare posse, THONERVs a) aliquot exemplis docuit. Balnea indiscretim adhibita dissuadet BAYERVS b) his verbis:*  
*Ad balnea non sine discrimine sunt mittendi diuersis morbis languentes; vidimus enim multos Thermas ingressos lethali grauamine periclitatos. Nocent balnea omnibus impuris corporibus; hinc praemitti debet purgatio, vel potus.*

## §. XXXII.

*Balnea vaporis* multo maiori vi & efficacia in corpus nostrum agunt, & triplo magis relaxant ac emolliunt, quam priora balnea. Hoc vero sic intelligendum est, quod unicum vaporis balneum tribus aliis balneis, quoad virtutem & effectum, aequiparandum sit. Vapores enim ipsa aqua repida multo sunt subtiliores, magis penetrant, fibrasque strictas potenter emolliunt & relaxant: quare in contractions & spasmis partium optime profundit, balnea vero communia optimo semper consilio vaporosis praemittuntur, ne per subitam hanc mutationem corpus nimis officiatur, sed ut valentioribus his balneis facilius adsuescat. Mora infensus in vaporis balneo primo die non ultra quinque vel sex horae minutus protrahenda; altero die ad decem vel duodecim; tertio, quarto & quinto die ad XV. XX. & XXV. minutus

a) Lib. IV. Observat. 2.

b) In Epist. a Cratone collectis, pag. 29.

nutas extendenda. Nunquam nimis diu, nec plus quam se-  
mel in die, his infidendum est balneis.

§. XXXIII.

*Stillicidium* (*das Tropfbad, la douge*) dictum, tumo-  
res & artuum rigiditates & contracturas optime discutit &  
mitigat, atque hinc in talibus morbis efficacissimum consti-  
tuit remedium. Huius aquae virtus augetur non solum  
per impetum, quo parti affectae calide adPLICatur, sed et-  
iam per frictionem, durante stillicidio, adiuuat. Prodest  
etiam in contractura neruorum tendinumque.

§. XXXIV.

*Pediluua* maxime in affectibus capitis & pectoris  
prosunt, ut in vertigine, cephalalgia, hemicrania, mania, me-  
lancholia, oralgia & ophthalmia, in asthmate conuulsiuo,  
dyspnoea, tussi sicca & haemoptysi, caeterisque qui a con-  
gestione sanguinis ad superiora oriri solent, modo eadem  
sint temperate calida; seu potius tepida, ne sanguinis conci-  
tent orgasmum & sub calore nimio idem ille versus caput  
magis urgeatur, quam inde derinetur.

§. XXXV.

Non autem solum ex thermis balnea parantur, sed  
etiam ex acidulis & aqua dulci, salutari non raro cum effe-  
ctu. Acidularum balnea ad fontes Pyrmontanos, ab anno  
1556. testante Clariss. SEIPIO a), iremque a fatis longo etiam  
tempore ad Wildungenses, Stebenenses, Heilbronnenenses,  
Freyenwaldenses, Schwalmenses, Cluenses, & alios, fre-  
quenti in usu sunt. Balnea talia praeparandi modus du-  
plex est: 1) quando omnis aqua mineralis coquitur, ut  
partes vitriolicae & adstringentes auolent, labro dein in-  
funditur, &, si tepefacta est, aeger in balneum descendit;

D 3

2) quan-

a) l. c. VII. Abtheilung, pag. 388.

2) quando dimidia pars aquae frigidae infunditur labro, altera vero pars feruida, ad temperaturam tepidi caloris, additur, & sic balneum paratur. Primum balnei genus in emolliendis tumoribus duris, nervis articulisque membrorum contractis; alterum vero genus in corroborandis partibus, discutiendis tumoribus, &c. adhibetur. De his agendi modis Clariss. SEPIVS a) & venerandus PARENTS b) plenius egerunt. Nouam aquas martiales, vel acidulas, pro balneo calefaciendi methodum, celeberr. Dn. D. LINDEN c) tradidit, & figura aenea expressam exhibuit, dum nempe aquae mineralis magna quantitas, lignea cista inclusa, ope exiguae quantitatis aquae in retorta ferrea conferuefactae & destillatae, temperate calida redditur.

### §. XXXVI.

Iam oritur quaestio: An acidularum balnea thermarum balneis praeferenda, an vero postponenda sint? Respondeo: 1) quod acidulae aequa ac thermae ex pyrite, secundum recentiorum omnium Medicorum sententiam, unam eandemque trahant originem; 2) quod acidulae magis adhuc minerali spiritu impregnatae sint, quam thermæ, ipsarumque constitutuæ partes multo subtiliores existant, atque idcirco, conuenienti methode calefactæ, efficiaciores deprehendantur, thermarumque balneis hinc præferri mereantur, quod non solum exemplo Pyrmontanarum confirmat celeberr. SEPIVS d), sed & venerandus PA-

RENS

a) loc. cit. p. 393.

b) In Tractatu: *Beschreibung des Clevischen Brunnens*, Cap. VII. §. 6-9.

c) In Tractatu: *On the origin Nature and virtues of mineral Waters and natural hot Baths*.

d) lib. cit. Cap. VII. §. 5. 6. 8.

RENS a) de balneorum Cliuenſium effectu testatur, quod nobilis quaedam matrona, arthritide laborans, quae thermis Aquisgranensibus antea per aliquod tempus cum exiguo leuamine ufa fuerat, ex tribus solum aquac Cliuenſis balneis longe meliorem obtinuerit effectum.

§. XXXVII.

Circa thermarum autem & balneorum usum magna opus est circumspectione, quum non omnes balnea ferre possint, nec omnibus eadem indiscretum conueniant. Circa usum autem eorum sequentes obſeruandae sunt cautelae generales: 1) Purgatio corporis balneo ſemper praemittatur. 2) Nunquam balneandus ante potum thermarum vel acidularum ingrediatur balneum, niſi ſufficienter aluina ſuccederit excretio. 3) Balneum in principio temperate calidum, ſeu tepidum fit, circa finem vero calidius eſſe potest. 4) Mora infellus in balneo prima vice breuis eſto, poſtea magis magisque diutius protrahi potest. 5) In balneo non dormiendum, neque ſermocinationes multae instituenda. 6) Egrediens linteis calidis abſtergatur in tepidario. 7) Poſt balneum in lecto, ſi rubor faciei erumpit, fudabit. 8) Quando quis a balneo, alias conuenienter adhibito, male ſe habeat, uſus eius eſt intermiſſendus. 9) Statim poſt prandium vel coenam omne balneum eſt pernicioſum. 10) Quando febris vel aestus in corpo re percipitur, vel mensium fluixus, vel asthma noratur, tunc balneum eſt fugiendum. 11) Tempore balnei a nimia repletione ciborum, ebrietate & coitu abſtinendum eſt. 12) Diebus balnei vitentur omnia vina calidiora, quae potius aqua dulci, vel acidulis temperatis diluta bibantur. Sed haec de thermis & balneis ſufficient.

§. XXXVIII.

a) In Tract. *Der rechte Gebrauch und die kräftrige Würckung des Cleuſchen Gefundbrunnens.*

## §. XXXVIII.

Progredior ad aquas frigidas, quae alias sub fontium mineralium, vel soteriorum nomine comprehenduntur, & pro diuersitate contentorum in specie acidulae (*Sauerbrunnen*), sed minus recte, item fontes martiales (*Stahlwasser*), vel falsi (*bitter Salzbrunnen*), appellantur.

## §. XXXIX.

*Primarium* omnium fere aquarum medicatarum seu acidularum & mineralium fontium ingrediens est *vitriolum volatile natuum*, seu spiritus mineralis acido-sulphureus, a pyrite ortum trahens, sine cuius acido aquae minerales nec produci, nec subsistere possunt, testante clariss. SEPIO a). Cognoscitur hocce principium vitriolicum per communissimum illud experimentum, si nempe puluis iniectus Gallarum vel flor. balaustiorum acidulas purpureo, aut atro colore tingit. Haec tenus equidem illud nullo modo separari & a connubio cum reliquis partibus constituentibus liberari potuit; nuperrime autem doctiss. SPRINGSFELD b) nouam hoc acidularum volatile vitriolum figendi methodum monstrauit.

## §. XL.

Quod thermae & acidulae a pyrite martiali oriuntur, in superioribus, ex sententia clarissimorum Medicorum, ratione & experientia comprobata, demonstratum dedi. Qui autem de veritate huius adseri forsitan adhuc dubitauerint, adeant velim thermas Embenses, ubi Clariss. IUNGKENIVS c) in praetato monte pyritem, vitriolo martis viridi imprae-

a) loc. cit. Cap. IV. §. 25. seq.

b) In itinere medico ad Therm. Aquisgran. & font. Spadan, §. 27. pag. 71.

c) Vid. eius Beschreibung der warmen Bäder zu Wiesbaden, p. 5.

gnatum collegit ; itemque fontes medicatos *Cluensi*, ubi verus pyrites, magna satis copia effossus, imo vena pyritis dilatata, a meridie ad septentrionem vergens & aperta (*ein schwebender Gang, der von Mittage nach Mitternacht freiebt und entblößt ist*), quotidie conspici potest, quam venam pyritis vener, PARENTS meus, cum fontis *Cluensi* scaturiginem fodiendo indagaret, detexit, innumerosque centenarios huius pyritis in acervum cumulare iussit, de qua minera viri curiosi & aquarum potatores, in patriam redeuntes, communiter particulas quasdam secum asportare solent.

§. XLI.

Hac occasione sequens moueri quaestio potest: Cum pyrites thermarum pariter & acidularum primarium constitutus ingrediens, hae vero aquae frigiditate & calore multum differant, undenam hae diuersae qualitates oriuntur? De caloris thermarum causa supra iam disputatum est; cum vero pyrites differant, & illi, super quos aquae minerales frigidae fluunt, non ita sulphure abundant, quam thermarum pyrites, utique hinc calor acidulis inde etiam oriri non potest, prout clariss. SEPIVS l.c. docet. Supra nominatus RÜNGKENIVS l.c. autumat, quod acidulae longius sub terra iter emetiantur, & sub diurniori mora & transitu tandem frigidae reddantur; quae vero sententia experientiae contraria est, quia de acidulis *Cluensisibus* constat, quod haec aquae immediate ex pyrite breuissima via profiliant.

§. XLII.

Alterum acidularum ingrediens est *sal alcalinum*, quod cum thermarum sale alcalino eiusdem est indolis atque naturae, de quo supra §. XXII. XXIII. fusius iam egi. Huius salis praesentiam cognoscere possumus, quando sy-

E rupus

rupus violarum aquas minerales viridi colore tingit; aut per evaporationem separatum tale sal syrapi violarum coeruleum colorem in viridem mutat, itemque si spiritus acidi & vinum Rhenanum cum iisdem effervescent. *Tertium* est *terra alcalina*, post evaporationem remanens & cum spiritibus acidis effervescent, de qua etiam supra §. XXIV. actum est.

## §. XLIII.

*Quartum* acidularum principium est *sal neutrum*, *enixum*, seu *medium*, quod tum oritur, si spiritus mineralis acidus cum sale alcalino sese intimis coniungit; hinc etiam sal illud enixum tartaro vitriolato & sali mirabili Glauberi simillimum est. De huius salis ab alcalino sale separatione §. XXI. egi. *Quintum* est *ferrum*, seu *terra martialis*, quae alias quoque, licet male, *ochra* appellatur. Haec in nonnullis aquis mineralibus copiosissimum constituit ingrediens, breviori vel longiori temporis interuallo, si aqua libero committitur aëri, ad fundum praecipitatur, vaseque vel canales, per quos transit, undique obducit; cum spiritu acido vero iuncta & ab eo soluta, vitriolum illud volatile, seu fugax, constituit, sique tandem calcinatur, verum nobis ferrum exhibet. Principium hocce aquis inesse cognoscimus, si ab iniecto Gallarum puluere nigrescant, & ouum in illas demersum flavo obducatur puluere, qui nil aliud, quam terra martialis est. Huic terrae etiam *lapis seleniticus* annumerari potest, quem celeberr. SEPIVS a) in aquis martialibus Pyrmontanis aliisque primus detexit & descripsit, qui terrae martiali alcalinae adhaeret, & formam crystallorum vel hastularum minutissimarum sub microscopio

a) lib. cit. Cap. IV. §. 137-144.

pio monstrat, de quibus plura laudatus Auctor exposuit,  
quae conferri merentur.

§. XLIV.

*Sextum & ultimum acidularum principium constitutivum est spiritus mineralis*, qui acido-sulphureae indolis deprehenditur, & praestantissimum illarum ingrediens constituit. Hic enim spiritus acidus, tanquam principale menstruum, martis mineram in pyrite dissoluit & viriolum martis producit, quod a praeterlabentibus aquis soluit, iisque intime admiscetur. Non solum autem hoc acidum, si principio martiali iungitur, vitriolum generat, sed etiam alcalino sali nuptum, sal medium seu enixum producit; si vero maior salis alcalini quantitas adfit, quam quidem ab hoc acido saturari potest, tunc etiam sal alcalinum separatim aquae inexsistit. Omnium fere Medicorum ea haec tenus fuit opinio, quod spiritus hicce ex aquis mineralibus auolet vel exhaler; doctissimus *SE IPIVS* vero <sup>a)</sup> variis rationibus & experimentis contrarium docuit, simulque demonstrauit, quod hic spiritus successiue sali alcalino vel terae alcalinae aquarum se iungat & sal enixum sive neutrum, ad instar tartari vitriolati, vel salis mirabilis Glauberi, producat, & quod haec salis neutri generatio tam in terra, quam supra eandem contingat.

§. XLV.

Enumeratis nunc & breuiter consideratis acidularum principiis constitutiuis, ad ipsarum *usum* progredior, qui nunquam sine accurato Medici consilio suscipiendus est. Conducunt vero acidulae generaliter in omnibus morbis ab obstrukione viscerum & impuritatibus vel dyscrasia humorum falsa oriundis, ut in atrophia, cachexia, ictero,

E 2

chlo-

<sup>a)</sup> lib. cit. Cap. IV. §. 52. & 61. seqq.

36      *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

chlorosi, obstructione hepatis atque lienis, suppressione & acrimonia urinae, in scorbuto & affectibus cutis pustulosis, arthritide & podagra, in affectibus spasmodicis, ut passione hypochondriaca atque hysterica, epilepsia, &c. in affectibus ab atonia, ut paralyssi, tremore artuum, visus & auditus debilitate, vertigine, apoplexia. Profundit etiam in nausea, vomitu, appetitu prostrato & inde orto capitis dolore, in cardialgia, diarrhoea, mensium obstructione, aut fluxu immodico & decoloratione, calculo renum, macie infantum & vermis, in febribus tertianis & quartanis, ac tandem in contracturis & vleeribus corruptis. Speciatim vero acidulae martiales roborantem & tonicum exserunt effectum; in quibus autem *sal commune* praedominat, illae magis alvum laxant; quae *sale medio* abundant, aperientem & incidentem, & quae *alcalinae* sunt indolis, astringentem, resoluentem & diureticam virtutem exserunt; quibus *sulphur* inest, diaphoretica & purificante, & quae copiosiorem tenerioremque *terram* continent, temperante & laxante efficacia pollut. Nocent vero acidulae subiectis a chronicis morbo valde debilitatis, in statu admodum depravato, phthisicis & hecticis, feminis tempore menstruorum & grauiditatis, in asthmate conuulsu, cordis polypo, hydrope consummato, &c. ac generatim iis, quorum viscera grauiori quadam labe iam sunt affecta.

§. XLVI.

Quemadmodum thermarum & balneariorum usus prouide est fuscipendus, ut supra §. XXXVII. monui, ita non minus circa acidularum potationem necessariae quaedam obseruandae sunt cautelae, quae in sequentibus consistunt.  
1) Corpus apto quodam digestiuo & laxante debite praeparatur. 2) Plethoricis, & artificialibus sanguinis ventilationibus

bus adfuetis, itemque feminis, quibus menses obstructi sunt, aut ubi sanguis ad orgasmum proclivus est, V.S. commendetur. 3) His praemissis, altero vel tertio die initium fiat cum dimidia mensura, vel tribus poculis aquae, quotidie cum duobus vitris adscendendo, usque ad 10. 14. vel 18. vitra, pro diuersa subiecti constitutione. 4) Durante potatione lento gradu deambulandum, ne sudor nimius, sed liberior tantum transpiratio, promoueat. 5) Diaeta & regimen bene obseruetur. Quando tempestas frigida est, tunc potatio in conclavi calefacto, vel corpore vestibus probe tecto, peragenda. Alimenta difficultis concoctionis, acida, viscida, fructus horaei, nunquam conducunt. Vina generosiora vitari debent, temperata vero concedantur. Somnus meridianus fugiendus est. Alius aperta seruetur. Absint omnia animi pathemata. 6) Tempus, siue continua-  
tio potationis, pro diuersitate morbi variat. 7) Absoluto acidularum usu aeger medicamentum laxans fumat, dumque reuersus adhuc diaetam conuenientem obseruet, multitudinem medicamentorum fugiat, & subsequentem demum plenarium acidularum effectum, quem *die Nach-Cur* vocant, expectet.

## §. XLVII.

Symptomata, quae durante acidularum potatione in diuersis subiectis occurrent, sunt: 1) *Vomitus*, a nimia faburra variarum cruditatum ortus, quae per acidulas liberatae sponte nunc eliminantur, unde effectus hic salutaris est, atque in principio potationis interdum per unicum, duos vel tres dies continuat. Si vero vomitus cum aegri qualicunque molestia & debilitate succedat & ultra hoc tempus protrahatur, acidulae in minori copia & cunctanter sunt bibendae; sique forsitan idem ille a debilitate ventri-

E 3

culi

culi proueniat, tunc amaris & aromaticis medicamentis succurrendum est. 2) *Obstruc<sup>t</sup>io alui*, quae saepissime nauseae & vomitus causa est, in principio statim tollatur, vel sale quodam digestiuo, ut sale polychresto aut Sedlicensi, vel potu acidularum tepido, aut alimentis lenientibus & paululum laxantibus. 3) *Retentio acidularum*, sub qua totum corpus adgraauatur, abdomen distenditur & inflatur, aliaque plura incomoda excitantur. Hoc symptoma primis diebus non statim suspectum, neque idcirco illico a portatione abstinentium est, siquidem medicamenta aperientia, diuretica & leniora hydragoga illud optime tollunt, ut effectus acidularum postea optime succedat; si vero talia frustra exhibita fuere, tunc ab acidularum usu prorsus abstinentium est, & aegro aliis remedii succurrendum. 4) *Ardor urinae*, ab acrimonia salina & biliosa vel calculo ortum trahens, paucis diebus sponte cessat; si vero longius cum incommodo durat, vesperi ante somnum adsumta conueniente dosi pulueris temperantis, aut oleo amygdalarum dulcium, tollitur. 5) *Appetitus prostratus* raro notatur; aliquando tamen defectus hic, ex neglecta diaeta, alui obstructione & intempestiva aquae frigidae portatione inductus, conuenientia laxante, vel remedio stomachico amaro restituitur. 6) *Oppressiones pectoris, cardialgia & ventriculi distensio*, effectus intemperati frigidi potus sunt, & tarda portatione, si aqua parciорibus haustibus temperate bibitur, vel potu calido Coffee subiuncto, tolluntur. 7) *Colica*, a potu frigido concitata, optime temperata portatione & remedio carminativo; ab obstructione autem alui oborta, laxante vel clystere tollitur. 8) *Ardor, pruritus & excoriatio ani*, ab acrimonia scorbutica, in visceribus latente & per acidulas soluta dependentes, primis 4. vel 5. diebus communiter saltem senti-

sentiuntur, postea vero vel sponte cessant, vel puluere temperante, aut adiplicato oleo leniente solvuntur. 9) *Insomnia*, plethoricis, cholericis & melancholicis subiectis familiaria, a curis, moerore, terrore & cogitationibus anxiis orta, subiecta talia valde debilitant, facile tamen, Venaesectione instituta, vel puluere temperante, aut moralibus persuasionibus, tolluntur. 10) *Somnolentia* omnibus fere acidularum potatoribus solemnis est; si vero ultra modum excedit, viscosi crassique sanguinis abundantia in culpa est, & ut plurimum in phlegmaticis subiectis obseruatur, optimeque apto laxante soluitur remedio. 11) *Vertigo & capitidis dolor* temperantibus ac refrigerantibus medicamentis, laxante interposito, & pediluuiis solvuntur. 12) *Tussis, asthma & pectoris spasmi*, a potu frigido oriuntur, & tum acidulae tepidae, vel cum lactis cocti & calidi tercia aut quarta parte mixtae, bene conueniunt. 13) *Tensiones & constrictiones spasmodicae in pedibus*, acidularum effectus usitatores, temporis successu sponte cessare solent; sin vero minus, balneo, vel spiritu vini camphorato leniuntur & discutiuntur. 14) *Dolores & irritationes ab ulceribus antiquis aut vulneribus concitateis*, itemque *febrium cortice chinæ præmature suppressarum reciduae*, & *paroxysmi arthritici*, si ab usu acidularum proueniunt, nil periculi portendunt, sed, experientia teste, certiorem communiter curationem promittunt.

§. XLVIII.

Absoluta potatione & acidularum usu, post aliquot hebdomas aut menses interdum salutaris acidularum effectus demum subsequitur, qui Germanis *die Nach-Cur* audit, ubi nempe aegri domi maxime leuantur, vel plenarie a malis perpetuis restituuntur, qui idcirco pariter sedulo attendendus, minimeque ulla ratione turbandus, sed congrua

congrua potius diaeta & prouido regimine magis adhuc adiuuandus est.

§. XLIX.

Acidularum grauitas specifica, si earum & aquae communis aequalis quantitas in bilance ponderatur, maior ordinarie deprehenditur quam aquae dulcis, ob particulas minerales atque salinas, utpote aqua specificie grauiiores, in iisdem simul contentas; his autem subtractis, acidularum aqua omnibus aliis aquis specificie levior est. Sed, si acidularum grauitas instrumento statico vitro indagatur, tunc ea aquae pluvialis aut destillatae grauitati aequalis, aut saepius minor obseruatur, quod a spiritu minerali & copia aeris, quae acidulis infundit, dependet; illa etiam grauitas tempestate frigida & pluviosa semper maior, serena autem & calida multo minor deprehenditur.

§. L.

Restat adhuc *aquarum medicatarum diuisio*, quae, antequam generali huic tractationi finem impositurus sum, breuiter adhuc subiungenda est.

*Aquae medicatae* sunt vel

**I. Calidae, & Thermae dicuntur**, quae iterum sunt

1) subtiliores & simplices, nullum minerale principium continentes.

*Thermae simpliciter spirituosa*e, ut Piperinae in Helvetia, Serpentinae in Hassia, & Pisanae in Italia.

2) crassiores & mixtae, mineralium principiis praeditae.

a) *Thermae martiales*, seu vitriolicae, ut Landecenses.

α) Thermae martiales muriaticae, ut Wisbadenes.

β) Thermae martiales alcalinae, ut Embenses.

b) *Ther-*

b) *Thermae alcalinae.*

- α) Thermae alcalinae simplices, uti Töplitzenes.
- β) Thermae alcalinae calcareae, ut Carolinae.
- γ) Thermae alcalinae sulphureae, ut Aquisgrana-

nenses.

c) *Thermae neutrales.*

- α) Thermae neutrales martiales, uti Badenses in Heluetia.
- β) Thermae neutrales muriatice uti Buchostei-  
nenses & Athonienses in Anglia.
- γ) Thermae neutrales alcalinae, *der Mühlbrunn bei  
Carlsbad.*

II. *Frigidae, alias acidulae dictae.*

1) *Aquae subtiliores spirituosa, quae aqua pluiali  
specifice leuiores sunt.*

- a) aqua cum spiritu aethereo minerali elasticō;
- b) aqua cum spiritu acido vitriolico;
- c) aqua cum spiritu vitriolico sulphureo suffocante, uti  
quidam fontes Italiae;
- d) aqua cum spiritu alcalino urinoso, uti fons ille sin-  
gularis Francofurti ad Moenum, *der Faulbrunn*  
dictus.

2) *Aquae salinae.*

a) *Aqua vitriolica.*

- α) aqua vitriolica martialis, cum terra ochrea.
- β) aqua vitriolica zinci, ut in acidulis Teinacen-  
sibus.

b) *Aqua salina muriatica, sal commune continens.*

- α) aqua muriatica marina.
- β) aqua muriatica fontana.

F

c) *Aqua*

*c) Aqua alcalina.**α) aqua alcalina simplex.**β) aqua alcalina terrea, quae terra in plurimis acidulis adest.**d) Aqua neutralis.**α) aqua neutralis simplex, ut apud urbem Umeam in Dania.**β) aqua neutralis mineralis, de qua paulo post.**3) Aquae minerales mixtae.**a) Acidulae martiales, seu vitriolicae.**α) aquae martiales cum vitriolo fugaci, ut in per-*  
*risque acidulis.**β) aquae martiales alcalinæ.**γ) aquae martiales neutrales.**δ) aquae martiales muriaticæ.**ε) aquae martiales biruminoſæ.**b) Acidulae muriaticæ.**α) acidulae muriaticæ martiales.**β) acidulae muriaticæ alcalinæ.**γ) acidulae muriaticæ neutrales.**c) Acidulae alcalinæ.**α) acidulae alcalinæ martiales.**β) acidulae alcalinæ calcareae.**γ) acidulae alcalinæ neutrales.**d) Acidulae neutrales.**α) acidulae neutrales martiales.**β) acidulae neutrales alcalinæ.**γ) acidulae neutrales muriaticæ.**δ) acidulae neutrales calcareae.***SECTIO**

SECTIO II.

DE NOVO FONTE MEDICATO CLIVENSI  
IN SPECIE.

§. I.

Prope urbem *Cliviam*, quae Ducatus Clivensis metropolis est, in Viuario regio, amoenissimus ille locus est *a)*, ubi hae salutares scaturiunt aquae, qui prius antea considerandus est, quam ad specialiorem huius fontis descriptionem & indagationem progrediar. Ipsa haec Clivia urbs in monte sita, & Viuarium, quod non ultra horae quadrantem ab urbe distat, versus orientem & meridiem praecollis atque iucundis montibus circumdatur, qui multis variisque arborum porticis atque sylvis ornati longe lateque extenduntur, simulque plurimum arenosi sunt, & martis mineram atque pyritem in larga copia recondunt.

§. II. Ex ea montis parte, quae Viuarium pertransit, nonnullae aquarum scaturigines erumpunt, quae ad varios salientes fontes, iucunditatis & ornamenti causa exstructos, per ligneos tubos deducuntur, inter quas Vener. PARENTIS primus ante 27. annos mineralēm hanc aquam, variis institutis experimentis comprobataam, exigua in quantitate ex montis radicibus scaturire vidit; tandem vero post longiorem indagationem, ex quibusdam indiciis & veterum operariorum relationibus, maiorem harum aquarum copiam monti inesse cerior factus, hanc aquam in montis visceribus fodiendo prosequi suscepit, ibique satis largam eius scaturiginem in-

F 2 uenit,

*a)* Qui de peramoena Cliviae regione, qua non melior circa ulas Thermas vel acidulas, nec in tota fere Germania datur, plura scire curiosus est, videat itineraria, vel vener. PARENTIS descriptionem fontis nostri germanicam, & Tractatum: *Amusemens des Eaux de Cleue*, in vernacula conscriptum.

44 *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

uenit, quae per canales ex monte deriuatur, & in peculiari  
aedificio, ad huius radices exstructo, fontis salientis in formam  
redacta, potatur.

§. III. Pyritae, per & super quos aquae nostrae saluta-  
res transeunt atque profluunt, feraces martis, duri & ponderosi  
sunt, botro, conchae & cerebro similes, caui & concamerati,  
nucleum continentis album, rubrum, ut plurimum tamen fla-  
uum, qui nucleus si teritur, color flavius, instar ochrae, si ve-  
ro aduritur, color purpureus inde emergit. Exterius pyri-  
tes flavius est, ex paruis silicibus constans, interius vero ob-  
scuri nigrique coloris, & ferrum purum (*gediegen Eisen*) re-  
ferens. Vena pyritis, ex quo fons soterius noster profluit,  
arenam inter & argillam rubram martialem per totum mon-  
tis tractum protrahitur, cumulata (*ein Gefücht*) & cauernosa  
est (*zB drüsig*). In illis vero locis, ubi venae coniungun-  
tur, & magis dilatatae sunt, ibi pyritis globi caui maiores &  
maximi obseruantur, & quo maiores sunt illi, eo maiores &  
duriores etiam sunt inclusi nuclei; e contrario in paruis glo-  
bis minores & friabiliores reperiuntur. Hic pyrites etiam  
in aliis locis, nostro vicinis, in pratis & pascuis circa Embri-  
cam urbem, summo sub cespite iacet (*gebet zu Tag aus*), &  
aliunde lapis ferreus ponderosus (*Eisenstein*) inuenitur, ex  
quo ferrum funditur, ut sit Bucholtzii in vicinia nostra.

§. IV. Porro quoque notandum, quod terra & lapides,  
super quos haec fluit aqua, nec non canales, per quos transit,  
flava martiali terra, instar croci martis, obducantur & incru-  
stentur, sique haec aqua in aliquo loco diu subsistat, pellicula  
variegata nitidique coloris in eius superficie conspicatur.

§. V. Praemissis his generalioribus, ad experimenta  
progredior, quae a Vener. PARENTE, ad examinandam fontis  
nostrae indolem, instituta, & saepius, me quoque praesente,  
repe-

repetita fuerunt. Quando instrumentum staticum vitreum huic aquae minerali immittebatur, duobus circiter gradibus eadem aqua communi leuior deprehensa fuit, licet alio experientia libra una fontis nostri XVII. granis eandem aquae communis quantitatem, sub eodem volumine, ratione grauitatis exsuperauerit; multum enim variat specifica fontis nostri grauitas, atque pro ratione aëris vel grauioris, vel leuioris, tam augetur, quam imminuitur, prout iam supra Sect. I. §. XLIX. monui.

§. VI. Si aqua ex nostri fontis scaturigine hauritur, coloris valde clari vel pellucidi est, saporis vero vitriolici seu atramentarii, & si vitrum apertum aëri libero exponitur, tunc copiosissimae bullulae aëreae fundo & lateribus eiusdem adhaerent, successiue in superficiem adscendunt & ibi evanescunt, quod sub serena calidaque tempestate citius & copiosius contingit. Si haec aqua dein per unam alteramue horam in liberiori aëre relinquitur, tunc color antea pellucidus successiue in albicantem sive lacteum mutatur, & tandem nubeculac flauae, seu rubicundae, in conspectum veniunt.

§. VII. Praedictæ bullulae aëreæ adscendendo alias quasdam particulas secum vohunt, & ad aquae superficiem transferunt. Sunt autem illæ bullulae in initio pauciores, & argentei coloris, deinde vero paullo copiosiores prodeunt, & successiue cuticulam, coerulei, flavi, aurei, cuprei & demum brunni ac mire variegati coloris efformant.

§. VIII. Quando haec (§. VI. & VII.) ita successerunt, tunc terra martialis ab aqua separatur, & instar pulueris ex flavo rubicundi ad fundum praecipitat, & tum crasis vel mixtio huius aquae penitus mutata atque destruxta est.

§. IX. Separato tali sedimento & mutata huius aquae mixtione (§. VIII.), haec post unum alterumque diem iterum

46 *Dissertatio inauguralis physico-medica,*

clara redditur, sed omnis plane saporis expers, ac ab iniesto Gallarum puluere nullum amplius colorem acquirit.

§. X. Si huic aquae, quae sedimentum iam depositum (§. IX.), spiritus vitrioli aliquot guttulae instillantur, tunc cuticula colorata euaneat, terra martialis praecipitata iterum soluitur, aqua priorem pelluciditatem & saporem vitriolicum recuperat, & ab insperfo Gallarum puluere coeruleo ac atro colore tingitur.

§. XI. Si aquae recenter haustae puluis Gallarum, corticis querni, granatorum, vel flor. Balaustiorum iniicitur, illico ruber, coeruleus, brunneus & ater conspicitur color, quae coloris mutaciones, tam cito se inuicem excipientes, iucundum oculis spectaculum praebent, quod vero, si aqua per 24. horas aeri aperto fuerit exposita, non amplius contingit. Si dein eidem huic aquae, Gallarum puluere ita tinetæ, spiritus vitrioli instillatur, color iste ater euaneat & aqua iterum clara redditur.

§. XII. Si aquae recenti spiritus acidi, acetum, vel vinum Rhenanum adsunduntur, leniter efferuescit; si vero eidem per 24. horas iam in aperto aere repositae haec instillentur acida, aquae pelluciditatem atque mixtionem diu conseruant, ut commissa licet aeri liberiori, tamen non turbida euadat, neque cuticulam acquirat aut sedimentum deponat.

§. XIII. Aqua recens & frigida a violarum syrupo saturato viridi colore, tepida vero, seu per aliquot horarum spatium liberiori aeri exposita, pallido tantum viridecente colore tingitur.

§. XIV. Quando aqua nostra cum aequali lacte cocti vel recentis quantitate miscetur, hoc non coagulatur, neque acescit, sed potius cum eadem ita mixtum per aliquot dies a coagulo & acescentia praeseruari potest.

§. XV. Libra una huius aquae mineralis post lenem evaporationem dedit grana X. sedimenti, seu materiae terreo-salinæ, flavo-rubicundi coloris; haecque dein cum aqua destillata pluviali iterum soluta, filtrata & evaporata, II. ad III. grana salis neutri amaricantis, quod neque cum acidis, nec cum alcalinis efferuescit, & VII. ad VIII. grana terrae insipidae exhibuit.

§. XVI. Haec terra martialis & alcalinae indolis est, quae adfu-

ad fusis acidis, praesertim vitrioli spiritu & aqua forti, multum effervescebat, adfusante fumo aliquatenus sulphureo. Quando eadem illa in crucibulo bene candefacta & rursus refrigerata fuit, tunc a magnete attrahitur. Si illa cum sale ammoniaco sublimatur, tunc flores maris obtinentur, ex quibus cum spiritu vini nitidissima martis tintura facili negotio extrahi potest.

§. XVII. Ex adductis principalioribus his experimentis a) iam clare patet, has aquas Clivenſes abundare spiritu acido vitriolico-sulphureo subtilissimo, qui propterea citius, quam in aliis aquis, ut Pyrmontanis, Spadanis, &c. evanescit, & quidem eo modo, de quo supra Sect. I. §. 44. dictum est. Praeter hunc spiritum martiale principium praecipuum & predominans harum aquarum ingrediens constituit, cui terra subtilissima alcalina & sal neutrum iuncta sunt.

§. XVIII. Facillime igitur harum aquarum virtutes primarias nunc quilibet perspicere poterit, quod nempe praesertim partes solidas roborent, atque tonum & robur illarum restituant, omnes sc̄. & excretiones promoueant, & inutiles succos noxiasque materias per urinam, alumum & insensibilem transpirationem & corpore euanescant, obſtructiones vero indeque pendentia varia mala tollant, dyscrasiam humorum corrigant, & spissitudinem eorum resoluant: adeoque in omnibus morbis chronicis & aliis affectibus, ab obſtructione vel atonia oriundis, optime conducant. Profundunt igitur & salutari cum effectu adhibentur hae aquae, in praeципuis morbis capititis, ut vertigine, mania, melancholia, capititis doloribus & spasmis, in vijs & auditus depravatione, aliisque vitiis a ſalfis & viſcidis catarrhis & obſtructionibus ortis, in tuffi, astmate, reſpiratione difficulti, & doloribus ab obſtructione pulmonum ſalfiſcida dependentibus, in cardialgia, appetitu proſtrato, nauea & vomitu, digeftione vitiata, ſuburra primarum viarum acida, viſcida & biliofa; ad enecandos & expellendos vermes, itemque in diarrhoea, colica & lienteria, in obſtructione vasorum lacteorum & lymphaticorum, glandularum, pancreatis, lieñis, hepatis, mensum & haemorrhoidium fluxu nimio, in gonorrhœa, pollutione nocturna, stranguria, miętu cruento, fabulo & calculo renum atque vesicæ;

in

a) Plura experimenta videantur in Vener. PARENTIS descriptione huius fontis faepius citata.

48      *Dissertatio inauguralis physico-medica, &c.*

*in fluore albo, chlorosi, sterilitate a debilitate & obstructione uteri, ac malo hysterico; in epilepsia, malo hypochondriaco, cachexia, ana-sarca, incipiente hydrope & paralyse; in affectibus rheumaticis & spasmodicis, arthritide, podagra, contracturis & rigiditate parti-um, in febribus intermittentibus per corticem Chiae intempestive suppressis, in scorbuto, gutta rosacea, aliisque cutis affectibus pustulo-sis & scabiosis.*

§. XIX. *Externe vero balnea non minoris efficacie sunt; parantur autem duplii modo, dum vel tota aquae mineralis quantitas, in aheno cupreo igne exposita & calefacta, adhibetur, quod balneum mitius est, vel dimidia aut minor pars aquae mineralis intense calida redditur, cui altera pars aquae mineralis frigidae re-centis additur, & huius generis balneum priori longe efficacius est. Haec aquae nostrae balnea agunt emolliendo & aperiendo obstruc-tiones hepatis atque lienis; conducent in sterilitate ab uteri de-bilitate & obstructione, in fluore albo & pathematis hystericiis, in malo hypochondriaco, melancholia, lue venerea, cutis defoeda-tionibus pustulosis & pruriginosis, scabie & lepra recenti, in arthri-tide atque podagra extra paroxysmum: emolliunt etiam partes contractas rigidas atque duros tumores, roborant vero insimul par-tes relaxatas, neros atque tendines. Hae modo enumeratae fontis nostri egregiae virtutes, per experientiam multis exemplis & felicissimis curationibus comprobatae sunt, quas Vener. PARENTS in Traetatu: *Der rechte Gebrauch und die kräftige Würkung des Cleuischen Gesundbrunnens* inscripto, fusiis exposuit, ad quem id-circo benevolum Lectorem remittit.*

§. XX. *Haec itaque sunt, quae, quantum pro teminitate in-genii & temporis ratione licuit, tam de medicatis aquis in genere, quam de Cluensi fonte in specie, specimenis inauguralis loco exhibere potui; plura vero, post absoluta itinera ad Thermas & fon tes Germaniae, in patriam redux, peculiari Traetatu, fauente diuini Numinis gratia, fusiis exponere mecum constitui, unde PLINII verbis, *Natural. Histor. Lib. XXXI. Cap. 2.* tractationem hanc ob-sig-nare placet: *Quod si quis fide carere ex his antiqua arbitratur, discat, in nulla parte Naturae maiora esse miracula.**

T A N T V M.

00 A 6316 (1)



f

V  
D  
18

Reha

DIE  
PHI  
V



AVGVRALIS PHYSICO-MEDICA  
DE  
S MEDICATIS  
PRAESERTIM  
DE  
**DICATO CLIVENSI**

QVAM  
DEO TIR OPTIMO MAXIMO  
CVLTATIS MEDICAE DECRETO  
REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
**ELIA BÜCHNERO**  
ROMANI IMPERII NOBILI  
RVSSORVM REGI A CONSILII INTIMIS,  
OPHIAE NATVRALIS PROF. PVBL. ORDIN.  
IAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE  
ITE PALATINO CAESAREO,  
**ADV DOCTORIS**  
AVGVST. A. R. S. MDCCCLII.  
VDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVCTOR  
**VS HENRICVS SCHÜTTE**  
CLIVO - CLIVENSIS.

